

# CERTAMEN

## LETTERATURA SCIENTIFICA E TECNICA GRECA E LATINA

### II EDIZIONE

#### Sezione b)

*La prova è articolata in due fasi:*

*1. traduzione*

*2. breve contestualizzazione del testo con commento filologico-letterario*

#### L'importanza della memoria

Memoriam quidam naturae modo esse munus existimaverunt, estque in ea non dubie plurimum, sed ipsa excolendo sicut alia omnia augetur: et totus de quo diximus adhuc inanis est labor nisi ceterae partes hoc velut spiritu continentur. Nam et omnis disciplina memoria constat, frustra que docemur si quidquid audimus praeterfluat, et exemplorum, legum, responsorum, dictorum denique factorumque velut quasdam copias, quibus abundare quasque in promptu semper habere debet orator, eadem illa vis praesentat: neque inmerito thesaurus hic eloquentiae dicitur. Sed non firme tantum continere verum etiam cito percipere multa acturos oportet, nec quae scripseris modo iterata lectione complecti, sed in cogitatis quoque rerum ac verborum contextum sequi, et quae sint ab adversa parte dicta meminisse, nec utique eo quo dicta sunt ordine refutare sed oportunis locis ponere. Quin extemporalis oratio non alio mihi videtur mentis vigore constare. Nam dum alia dicimus, quae dicturi sumus intuenda sunt: ita cum semper cogitatio ultra eat, id quod est longius quaerit, quidquid autem repperit quodam modo apud memoriam deponit, quod illa quasi media quaedam manus acceptum ab inventione tradit elocutioni. Non arbitror autem mihi in hoc inmorandum, quid sit quod memoriam faciat, quamquam plerique inprimi quaedam vestigia animo, velut in ceris anulorum signa servantur, existimant. Neque ero tam credulus ut †quam abitu tardio rem firmioremque memoriam fieri et actem quoque ad animum pertinere.† Magis admirari naturam subit, tot res vetustas tanto ex intervallo repetitas reddere se et offerre, nec tantum requirentibus sed sponte interim, nec vigilantibus sed etiam quiete compositis: eo magis quod illa quoque animalia quae carere intellectu videntur meminerunt et agnoscunt et quamlibet longo itinere deducta ad adsuetas sibi sedes revertuntur.

QUINTILIANO, *Inst. or.*, XI, II, 1-6

Quintilian. *The Orator's Education, Volume V: Books 11-12*. Edited and translated by Donald A. Russell. Loeb Classical Library 494. Cambridge, MA: Harvard University Press, 2002.